



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LVI. Gregorii Papae I. Ad Stephanum Abbatem Lirinensem. Vt sollicitus sit circa congregationem sibi commissam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

AD STEPHANVM ABBATEM LIRINENSEM.

Vt sollicitus sit circa congregationem sibi commissam.

*Gregorius Stephano abbati<sup>1</sup> de monasterio Lirino Gallie.*

**L**ÆTOS nos relatio Augustini serui Dei presentium portitoris effecit, quod dilectionem tuam, ut oportet, vigilantē esse narravit: denique & presbyteros & diaconos cunctamque congregationem vnanimes viuere ac concordēs affirmat. Et quoniam præpositorum bonitas subiectorum salubris est regula, omnipotentem Dominum deprecamur, ut in bonis te semper operibus gratia suæ pietatis accendat, & commissos tibi ab omni diabolicæ fraudis tentatione custodiat, & tecum cum caritate & placita sibi viuere conuersatione concedat. Quia vero humani generis inimicus insidiari nostris actibus non quiescit, sed assidua calliditate hoc nititur, ut Deo seruiētes animas in qualibet parte decipiat, ideo, dilectissime fili, hortamur ut sollicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commissos tibi oratione & cura prouidenti custodias, ut lupus circumiens nullam dilaniandi occasionem inueniat, quatenus dum Deo nostro incolumes quorum suscepisti curam reddideris, & præmia labori tuo gratia sua rependat, & tibi æternæ vitæ desideria multiplicet. Cochleares vero & circulos quos direxisti suscepimus, & caritati tuæ gratias agimus; quia qualiter pauperes diligas ostendisti, qui ad vsum eorum quæ sunt necessaria transmisisti.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *De monasterio Lirino.* ] Pro *Lirino*, scriptum est apud Gregorium *Quiirilino*. certa est emendatio; Stephani enim abbatis, quem ad vigilantiam & sollicitudinem hoc loco excitat, incauta remissio perstringitur in altera Gregorii epistola ad Cononem abbatem Lirinensem, Stephani successorem.